

E & dimitit materiam, uidetur dimittere aliquid non necessarium, sed non est ita, quia forma debet accipi in diffinitionibus, secundum dispositiones, in quibus existit. Nec ualet ratio adducta per Scotum, quia tunc diffinitio substantiæ compositæ, esset per additamentum, quia materia non est de quiditate, quia reflecto argumentum. certum est, quod corpus non est de quiditate animæ, & tamen ponitur in diffinitione quiditatis animæ, quia Aristote. 2. de Anima, text. com. 5. diffinit animam dicens, quod anima est actus corporis organici, habetis uitam in potentia, sed dicimus nos, illam diffinitionem (cum sit substantiæ) non esse ex additione, licet detur per aliquid, quod non fit, de quiditate diffinitio, tamen est necessarium pro completo intellectu eius, quia forma dicitur relatiue ad materiam, ut à Naturali consideratur, & ideo est diffinibilis per illam, sed quia ex materia, & forma fit unum per se, & sunt eiusdem generis, ideo quoties forma diffinitur per materiam, aut materia per formam, non dicuntur istæ diffinitiones esse ex additione. Sed diffinitiones accidentium copulatorii, quæ dantur per propria subiecta, sunt ex additione, quia subiectum est in alio genere, & quia ex subiecto, & accidente, non fit per se unum & hoc est quod pulchre notauit Cômén. in. 7. Primæ philosophiæ. in. com. 1. 7. inquit enim, quod talia accidentia, aut non habent quiditatem ueram, & diffinitionem ueram, aut si habent, habent alio modo secundario, & hoc est ita quoniam subiecta talium accidentium, non sunt, sicut genera differentiarum, sunt enim diuersa secundum genus, & secundum naturam, quod non contingit in genere, & differentia. Neque illud quod congregatur ex eis, & ex subiecto, est unum in actu, sicut illud quod congregatur ex genere, & differentia, & ita etiam est de materia cum forma, si bene aduertis. Præterea. Reflecto argumentum adductum ex. 8. Metæ. text. com. 11. & 12. Nam ibi expressè colligitur, quod in diffinitione substantiæ materialis, habentis omnes causas, debet poni omnes causas, ita quod efficiens, & finis, ultra materiam, & formam, sed per se efficiens, & finis, non sunt de quiditate, quia sunt causæ extrinsecæ, ergo tales diffinitiones sunt ex additione, ubi datur ibi exemplum de homine, qui habet quatuor genera causarum, & ille est locus clarus contra Burleum, & sequaces, qui uolunt quod ad habendam cognitionem perfectam simpliciter per diffinitionem, non oportet cognoscere omnes causas, sed solum causas intrinsecas, cum tamen idem dicatur esse iudicium de cognitione complexa, habita per demonstrationem, & diffinitionem, nam omnis diffinitio, aut est demonstrationis principium, aut est demonstrationis conclusio, aut est solo situ uariata à demonstratione, ut dicitur in lib. Postæ. analyticorum, quia igitur non distinxerunt Scotistæ inter essentiam, & quiditatem, ideo deueniunt ad hoc, & ita ad omnia argumenta probantia, quod in diffinitione substantiæ compositæ ex materia & forma, debet poni forma, & materia concedenda sunt, tamen materia non ponitur, quia sit pars quiditatis, sed ponitur in diffinitione, tanquam uehiculum deferens quiditatem, quæ est forma, quia ista, ut à Naturali considerata in quadam relatione consistunt. unde Cômén. in. 4. Phy. com. 6. inquit quod scire quiditates ultimorum principiorum difficile est, & scire materiam sine forma, aut formam sine materia, impossibile, & sic etiam Côméntator bene concedit, quod illa quæ diffiniuntur uere sunt compositæ substantiæ, ut patet. 7. Metæ. com. 40. Et concedit quod diffinitio substantiæ compositæ, est composita ex materia, & forma. unde. 7. Metæ. 37. homo in communi diffinitur per carnes & ossa in communi, tamen alia ratione ponitur materia, & alia forma, ut ex dictis patet, & ita etiam patet quomodo anima non est animal uno modo, & tamen alio modo, animal ipsa anima dici potest. Reuocemus igitur sermonem eundem de diuertimus, & dicamus, quod in conceptis cum materia, aliud est quodquid est, ab eo cuius est quodquid est, id est aliud ad quiditas, & indiuiduum, seu aliud est essentia, aliud quiditas, in abstracta autem à materia, idem sunt quiditas & essentia, & præsertim in prima intelligentia, sicut statim dicam in sequenti Theoremate.

In prima forma, essentia eius, est quiditas eius, alia autem forme, diuersantur in quiditate, & essentia quoquo modo.

PROPOSITIO est Cômén. Auer. 3. de Anima in solutione. 3. q. in. cō. 5. & in libro Destructio destructi. in disputatione. 6. in solu. 6. dub. ubi inquit, quod prima causa est quiditas absoluta, & omnia alia à prædicta quiditate, quiditate habent. Pro cuius intelligence, animaduertente unum quod scribit Auer. in præalleg. loco. 3. de Anima, quod sicut esse sensibile diuiditur in materiam & formam, sic esse intelligibile diuiditur in aliquid consimile materię, & in aliquid consimile formę. Nam ut supra notauit tibi, ista sunt duo extrema latitudinis entium, prima forma, & prima materia. Et sicut prima forma (quæ est Deus gloriosus) retinet supremum gradum, in genere actus: sic prima materia, retinet supremum gradum in genere potentię. Nam ut scribit Cômén. in fine libri de Substantia, quia materia habet gradus, & materia habet gradus, & quia actus, & potentia sunt differentia opposita: ut patet nono Primæ philosophiæ. text. com. 1. sic etiam actus habet gradus, & forma habet gradus. Unde sicut materia est subiecta, quæ est in pura potentia, quia non est actus, nec habens actum, quia non est forma, nec formatum: sic prima forma est purus actus, ita quod non est potentia, nec habens potentiam, loquor autem de potentia quæ passiuæ est, & attestatur materię, & imperfectioni. Unde Cômén. in. 9. Primæ philosophiæ. com. 2. inquit quod sicut in diffinitione cuiuslibet potentię passiuę, sumitur diffinitio potentię passiuę, primę materię, sic in diffinitione cuiuslibet potentię actiuę, sumitur diffinitio actiuę primæ formę: ista enim sunt duo extrema, iuxta illud etiam beati Augustini. 2. libro confessionum. Duo diē feci tibi, unum prope te, & aliud prope nihil, necesse est autem, quod omnia media inter purum actum, & puram potentiam, participant naturam extremorum, & quod sint composita ex actu, & potentia, sed diuersis modis, sicut diuersa est natura istorum mediorum. nam differentia entium sunt ualde diuersa: ut asserit Cômén. in. 2. Cœli & mundi. in com. 65. unde in omnibus intelligentiis, citra primam est aliquid consimile materię, & hoc est potentia, quæ dicit priuationem aliquid actualitatis, & perfectionis. Nulla enim intelligentia præter primam, cōtinet totam perfectionem, possibilem reperiri in habitu entis, licet quælibet contineat tantam, quæ est tibi competens, quia in æternis, non differt posse ab esse secundum Philosophos, & ideo dicit Cômén. 9. Metæ. in ca. de pfecto, quod solum primū principii, quod est Deus gloriosus, est ens simpliciter perfectum, quia nulla perfectio si bi deficit, nec ut ita ens, nec ut simpliciter ens, sed alia intelligentiæ, sunt entia perfecta in genere, quia unaquæque habet tantum de perfectione, prout natura sua est capax. Et licet intelligentia Saturni (ut his) omnem perfectionem quæ potest consequi in propria forma, ab æterno habuerit, & ut sic dicitur esse perfecta, ratione qua talis, si tamen considerata fuerit ut ens, reperitur priuata aliquo gradu perfectionis. Et certum est perfecta in suo proprio genere, non tamen est perfectissimum ens, quia non habet tantam perfectionem, quantum habet prima à qua dependet, & sic in suo esse inuenitur composita ex actu & potentia, non tantquam ex positio, & positio. sed tantquam ex positio, & priuatio, sicut bene dixit in hoc. Henricus de gandauo, in quibusdam questionibus formatis ab ipso, de simplicitate Dei, & in quolibet, quolibet. 4. q. 1. 6. & post ipsum Scotus in 8. dist. primæ. q. 2. unde talis potentia in abstracta inuenta, non dicit aliquod reale, quia nihil in eis esse possibile, ut dicit Cômén. in secundo Cœli & mundi. com. 34. Nam possibile in æternis est necessarium, & hoc fuit etiam de mente Philosophi, in nono Primæ philosophiæ. text. com. 17. ubi habet, est autem nihil potentia sempiternum, sed ista potentia est logica, & est ens rationis, quia dicit solum non repugnantiam, quia intelligentiæ Saturni in quantum ens, non repugnat quod sit perfectior, quam est, sicut dicimus, quod talpa

K Prop. 4.

Prop. 4. Deus retinet primam gradum potentie consimilem in genere actus non in genere potentie.

L

M

Cōpō sit potentia & actus non est ex positio, sed ex priuatio, sicut in de pfecto.